

TITULUS X.

De Canonicis Graduatis.

CAPUT I.

Qua ratione & quomodo Canonici Graduati, praefertim in Belgio instituti.

- 1 Ecclesia semper desideravit ut ad Canonicatus Graduat...
2 Hoc ut assequeretur, graaus Academicos Canonicibus annexit.
3 Eundem in finem in erectione novorum Episcopatum Belgii instituti sunt Canonici Graduati.
4 Hutenentur specialiter opera & consilio Episcopo assistere.
5 Ex istis eligendi Archidiaconus, Archipresbyter & Penitentarius.
6 Eligendi per Episcopum & Graduatos, & quare.
7 Ha praebenda sub nullis reservationibus &c. comprehenduntur.
8 Tres ex us Canonicis examinant admittendos ad Sacros Ordines & curam animarum.

1. Anonicos Cathedrales successisse pristino Presbyterio, quod Episcopo pro Senatu esse in Ecclesia suae administratione solebat, supra vidimus, ipsolque ex sua institutione ac mente Ecclesiae debere opera ac consilio episcopis assistere; ac una cum ipsis Episcopis Senatuum Ecclesiae constituere ostendimus.

Quapropter sollicita admodum fuit Ecclesia, ut ad hos praefertim Canonicatus assumerentur viri eruditione ac moribus ita conspicui, ut merito sperari queat, quod ex iis corpus tale coalescat, a quo Episcopi in Ecclesia regimine operam & sanum consilium habere queant. Decet namque (ait Synodus Burdigalensis anno 1624. cap. 9.) Metropolitanam aliasque cathedrales Ecclesias, eas perfonas ita probitate ac scientia commendatas ad Canonicatus assumere & eligere, ut ex iis Corpus Capituli coalescens, Senatus Episcoporum, unde consilium accerfant, merito dici possit.

II. Hoc ut facilius & efficacius consequerentur Patres Concilii Basileensis Sess. 3. voluerunt, Ut in qualibet cathedrali & Collegiata Ecclesia ultra Praebendam Theologo assignandam, tertia pars Praebendarum conferatur Graduatis. Hoc Decretum non tantum in Sanctionem Pragmaticam jussu Caroli VII. Galliarum Regis relatam est; sed etiam concordato inter Leonem X. & Franciscum I. conservatum & de novo confirmatum.

Quin & Synodus Tridentina expendens, quantopere Ecclesiae interfuit, ut ad Canonicatus promoverentur Viri doctriina & probitate insignes & probati, hortatur ut, in Provincis, ubi id commodè fieri potest, Dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatum in Cathedralibus Ecclesiis & Collegiatis insignibus conferantur tantum Magistris vel Doctoribus, aut etiam Licentiatibus in Theologia vel Jure Canonico. Sess. 24. c. 12. De reformat.

III. Eundem in finem in erectione novorum Episcopatum Belgii facta ad instantiam Philippi II. per Paulum IV. statutum fuit, Ut decem Canonicatus sive Praebendae primo vacantes sic maneat affecti, quod ipse Episcopus unum vel unam omnium primo vacaturos tamquam mensa Episcopali perpetuo unitos obtinere, illorumque ratione persona Capitularis esse, vocemque & auctoritatem etiam in Capitulo super Decanum & Canonicos habere possit.

Reliqui vero novem Canonicatus & Praebendae praedicti tribus Magistris aut Licentiatibus in Theologia, & tribus aliis Doctoribus Decretorum, seu in iis Licentiatibus,

ac tribus aliis Nobilibus ejus Dioecesis, etiam in Jure vel Theologia saltem gradu Licentiatum in famosa quapiam Universitate Studii Generalis, secundum tenorem praedictarum Literarum promotis, ordine in dicta designatione expello, in perpetuum concedi & assignari debeant.

IV. Quodque ad sex priores tam Nobiles quam alii non Nobiles, ut praefertur, tamen qualificati, ad reliquos vero tres Canonicatus & tres Praebendas ex reliquis novem Canonicatibus & Praebendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles & Graduati, ut praefertur, assumi possunt; ac omnes & singuli ratione starum hujusmodi Praebendarum consilium & operam in negotio Ecclesiae & Religionis, ceterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo suo requisiti fuerint, tam conjunctim quam divisim praestare teneantur.

V. Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec non reliquos ex dictis Graduatis, Penitentarius ad Penitentiarium hujusmodi, ad nominationem Episcopi assumi, & omnium primi post Episcopum vacaturos Canonicatus & Praebendas praedictos simili ordine consequi debeant.

Hae sat patenter evincunt, hanc Graduatorum institutionem unice factam, ut in Cathedralibus Ecclesiis aliqui ut minus inter Canonicos essent, qui scientia ac eruditione in Sacra Theologia & Sacris Canonibus excellerent; qui Episcopis consilio & opera in regimine suae Ecclesiae assistere possint.

VI. Ut autem, prosequitur Bulla erectionis, de viris spectatae doctriinae & probitatis, ad adificationem Ecclesiae Dei, accuratius prospiciatur, quod ipsi novem Canonicatus & novem Praebendae hac prima vice per Episcopum dumtaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut praefertur, ad electionem Episcopi & aliorum Graduatorum praefatorum superstitium per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus juris sive momenti, quam cuiusvis Graduatorum habeat, nisi vobum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Episcopi suffragium paritatem dirimat.

Ex his erectionis verbis intelligant Canonici Graduati electionem loci vacantis sibi esse delatam; ut nimirum, De Viris spectatae doctriinae & probitatis, ad adificationem Ecclesiae Dei accuratius prospiciatur. Proinde hinc intelligant, quam solliciti esse debeant, ut omni humano respectu seposito, hujusmodi Viros eligant.

Hac de Episcopis & Canonicis Graduatis spe concepta, pro stabilienda eorum in hac electione libertate, declaratur & statuitur in ipsa erectionis Bulla, Quod ipsi novem Canonicatus & novem Praebendae sub nullis specialibus vel generalibus etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, interditi de providendo, commendando, & aliis disponendo, primariis precibus nuncupatis, vel aliis gratis praeventivis, per Nos aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam praedictam, vel ejus Legatos etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regis, Ducum, ac aliorum Principum, aut ejusdem S.R.E. Cardinalium, & ex quacumque causa quantumlibet urgenti pro tempore factis & concessis comprehendantur, nec etiam tamquam vacantes Sedem eandem, aut ulla alia ratione generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis apud Sedem eandem pro tempore occurr

occurrentem, per Romanum Pontificem aut Sedem hujusmodi, se illis provideri, aut aliis quoquo modo disponi possit, sed forma electionis praemissa omni tempore servari nullaque causa infringi debeat.

Adhaec, quod magna de eruditione ceterisque qualitatibus Canonicorum Graduatorum concepta fuerit idea, & illud non obscure evincit, quod novem Graduatis eligi debeant ab Episcopo tres praecipui ejus Ministri, scilicet Archidiaconus, Archipresbyter cathedralis, & Penitentarius.

VIII. Accedit, quod in Bulla dicitur: Ex senioribus praefatis Canonicis dicitur in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati una cum Archidiacono curam habeant examina di promovendos ad Sacros Ordines, & admittendos ad curam animarum, quacumque illi auctoritate provilli fuerint.

CAPUT II.

De Graduatis Theologis & Canonistis.

- 1 Solent Graduati in Theologia & Jure Canonico aequiparari.
2 Objeccio contra hanc paritatem.
3 Solvitur objeccio.
4 Canonista Canonibus SS. ut oportet instructus etiam aliquo modo Theologus est.
5 Pluribus saeculis Canonistarum & Theologorum distinctio fuit ignota.
6 Utiliter Canonista studium Theologiae & Theologus studium Canonum jungunt.
7 Quae causa quod Graduati in Jure Canonico SS. Canonibus ut oportet non sint instructi.
8 Conveniens esset ut gradus in Jure Civili non semper jungeretur gradui in Jure Canonico.
9 Ex praemissis ostenditur, Canonistam posse Theologo comparari.

Synodus Tridentina sive in promovendis ad Canonicatus & Praebendas, sive in promovendis ad primarias dignitates Ecclesiasticas, etiam Episcopatum, requirens gradum Academicum, ubique gradum in Jure Canonico jungit gradui in Sacra Theologia; ita ut velit promovendum esse Graduatum in Theologia aut Jure Canonico. Similiter Bulla erectionis novorum Episcopatum in Belgio numerum aequalem Graduatorum in Jure Canonico, & Graduatorum in Theologia instituit; neque in electione ad Dignitates, Theologos canonistis praefert, sed Episcopo liberum relinquit, vel ex his, vel ex illis assumere.

II. Verum, cum Canonici cathedrales, ac praecipue ipsi Graduati instituti sint, ut Episcopo in regimine Ecclesiae consilio & opera assistant; illudque regimen unice fere spirituale animarum profectum atque directionem respiciat, qua ratione canonista cum Theologis in hoc munere concurrere, aut his aequari possunt?

Canonistarum quippe scientia, non tam regimini spirituali subfervire posse videtur, quam litibus ac controversiis forensibus terminandis; quae minima ac infima est regiminis Episcopalis portio.

III. Negari non potest, non paucos hodie inter Graduatos in Jure Canonico reperiri, qui unice penè incubuerunt canonicis & Decretalibus, quae ad lites & judicia valent; eosque fere solos in praedictionibus exponi audiverunt; adeoque forensibus judiciis ac litibus prosequendis aut terminandis idonei dumtaxat reperiantur: sed ablit, ut hujusmodi Graduatos in Jure Canonico ad canonicatus & dignitates Ecclesiasticas, ut Episcopis in regimine & cura Ecclesiae adjutores & consiliiarii essent, Ecclesia aut Fundatores desideraverint; sed veros indubie voluerunt praefici canonistas; id est, ea canonum scientia refertos, qui Patrum acta ac mo-

Van Espen Jur. Eccl. P. I.

res repraesentantes, optimam Ecclesiae componendae atque ordinandae rationem continent.

Hi autem canonici, (uti rectè monuit Pius Parisiensis Universitatis Cancellarius Joannes Gersonius) si bene inspiciamus, non sunt nisi conclusiones elicite vel illatae ex principiis Theologicis, id est, ex Evangelio & aliis libris Canonici per illos, quibus dicitur: Qui vos audit, me audit.

IV. Hisce Canonibus si rite essent instructi Canonista, sive in Jure Canonico Graduati, quis non videat, quam hi possent, non secus ac Theologi, regendae Ecclesiae esse idonei?

Imò si hisce Canonibus sese occuparent, qui Jure Canonico operam navant; atque ad Ecclesiae servendum studio illi impendunt, etiam in Theologicis scientiis non essent ignari.

V. Si enim Canonici sint Conclusiones ex principiis Theologicis elicita vel illata, qui illorum plenam notitiam ac genuinum sensum aequi deiderat, etiam principiorum, & quibus deducuntur, plane ignarus esse non potest.

Hinc Gersonius asserere non veretur, per quadringentos & amplius annos ita gubernatam fuisse Ecclesiam, ut non esset distinctio Theologorum & Canonistarum: licet Canonici Sacri multi essent ultra tenorem expressè traditum in Evangeliiis & ceteris Libris canonicis.

VI. Deinde monet, Dominum non ita distinctisse Theologiam à Sacris Canonibus, & contra, quin utiliter & salubriter possint ab eodem homine, quantum sibi conceditur, investigari. Si enim reperti sunt, qui ultra canones Sacros Legibus humanis dederunt studium suum, & contra, & profecerunt in utrisque, si ultra Philosophiam & Metaphysicam multi quotidie in Theologia se vehementer exercent. Hoc convenientius habet fieri quòd Theologus descendat ad inspiciendum canones tamquam conclusiones elicitas ex suis principiis Theologicis deducere. Sic erit talis ambidexter Theologus canonista & Canonista Theologizans: Et quis est iste & laudabimus eum. Quid autem facilius est ex ambobus aut per Theologiam S. cognoscere Canonicam scientiam, vel è contra. Ex ultimo, quòd primum, sicut facilius est & ordinarius deducere ex principiis conclusiones, quam ex conclusionibus ad principiorum notitiam devenire.

Si hoc Gersonis consilium attenderent tam Theologi quam canonista, illi nimirum Sacris Canonibus, utpote conclusionibus practicis ex principiis Theologicis elicitis; hi vero Libris Canonici & Sanctis Patribus incumbendo, non dubium, quin & illi & hi majori cum fructu Ecclesiae regendae, & Episcopis consilio & opera assistendi forent capaces.

Ejusdem cum Gersonio sententiae fuisse S. Carolum, refert in ejus vita Carolus à Basilica S. Petri. Ea, inquit, canonum scientia ipsi per jucunda erat, quae Patrum mores & acta repraesentans Ecclesiae componendae atque ordinandae rationem continet. Dolens autem eos communi consuetudine tantummodo canones ad interpretandum seligi, qui ad lites judiciumque valent, constituit ipse, qui iis declarandis praesert, unde sacra Majorum instituta & ritus, opimumque Ecclesiae administrandae genus hauriretur.

Ut ergo scientiam Canonum, qua Ecclesiae servendi reddantur idonei, facilius assequerentur Juris Canonici Studiosi, optandum esset ut hi saltem, qui se non forensibus controversiis occupare, sed in clericali Statu Deo & Ecclesiae servire intendunt, potius studium Theologicum, id est, Sacrae Scripturae & SS. Patrum, quam Legum civilium jungerent aut praemitterent studio Sacrorum canonum.

VII. Et sanè quod hodie Juris Canonici Studiosi penè non imbuantur, nec student nisi canonibus aut Decretalibus, quae ad lites judiciumque valent, quidnam

F magna

magna ex parte inde proveniat, quod nulli hodie creari soleant Doctores Canonum seu Decretorum, nisi una & Legum Doctores creentur; paucique Juris Canonici aut Decretorum dumtaxat Licentiatum fiant.

Cum enim legum studium ad forenses controversias, judiciumque terminanda penè unice spectet, facile contingit, ut etiam studium Canonum eo conferant.

VIII. Ut ergo verum, ac Ecclesie utilis Canonum studium amplius floreret, optandum esset, ut non tantum Licentiatum, sed & Doctores crearentur, qui unice se Canonum studio occuparent; verumque sensum è suis fontibus eruerent; quemadmodum in ipsis Universitatibus nostris florentibus exordis frequens fuisse ipsi Facti Academici abundè testantur, in quibus referuntur plurimi folius Juris Canonici seu Decretorum Doctores.

IX. Hæc sat ostendunt, qua ratione Graduatus in Jure Canonico, si scientia Sacrorum Canonum qui veram Ecclesie disciplinam, quæ & Patrum mores atque repræsentant, sit debite instructus, quemadmodum publicum Academicum testimonium sive Gradus præfert, possit unà cum Graduato Theologo Episcopis in administratione Ecclesie esse admodum idoneus.

Ad hæc, quis ultra mirabitur, si ad præcipuas Ecclesie Dignitates ac Munia vocentur indifferenter Graduati in Jure Canonico & Theologia, qui attendit, Sacros Canones esse conclusiones è Libris Canonicis & Sanctis Patribus elicitas; ac per consequens peritum SS. Canonum etiam Sacrarum Litterarum ac Patrum non posse esse ignarum; è quorum lectione etiam Theologus suam haurire debet scientiam.

Sicuti enim Canonice nomen non meretur, saltem ut ad Ecclesiastica munia assumatur, iis Canonibus tantum instructus, qui ad forenses quæstiones, judiciumque terminanda conducunt, ita nec Theologi nomine dignus est, qui scientiam suam è Sacris Litteris & Patribus non hausit.

### CAPUT III.

#### De Graduatis Nobilibus.

1. An probanda consuetudo Capellanorum nullos admittendi nisi Nobiles?
2. In electione ad munia Ecclesiastica magis attendenda virtutum quam generis nobilitas.
3. Potest tamen quandoque generis nobilitas attendi.
4. Hac debet attendi cum respectu ad bonum Ecclesie.
5. Nobilitas potest conferre ut quis magis proficiat Ecclesie.
6. Quid Nobilibus Canonicis præ reliquis incumbat.
7. Nobiles etiam gradu Academico insigniti esse debent.
8. Gradus Academici magna cautione concedendi.

**N**onnulla sunt Canoniorum Collegia, in quibus invaluit consuetudo, quam etiam nonnumquam ex ipsa fundatione originem habere asserunt, ut nullos ad suum gremium admittant, nisi suam nobilitatem legitimum testimonium alluerint; contra quam referente Molano lib. 2. De Canonicis. c. 29. prolixè scribit Guilielmus Perardus, acriter reprehendens consuetudinem illarum Ecclesiarum, quæ nolunt canonicare, ut loquitur, nisi Nobiles.

Peraldo consentire videtur Gregorius IX. in Cap. 37. De Præbendis & Dignitatibus. Cum enim auctoritate Apostolica Episcopus Portuensis tamquam Sedis Apostolicæ Legatus contulisset jure devoluto Præbendam in Ecclesia Argentina cuidam Clerico, & Capitulum illum admittere nollet, allegans consuetudinem antiquam inviolabiliter observatam, juxta quam nullum nisi nobilem & liberum, & ab utroque parente illustrem, honestæ conversationis, ac eminentis scientiæ in suum consortium ha-

stenus admiserant; quæstione ad Sedem Apostolicam devoluta, respondit Pontifex Gregorius IX. Nos igitur attendentes, quod non generis, sed virtutum nobilitas, virtutemque honestas, Deo gratum faciunt, & idoneum servitorem, ad cuius regimen non multos secundum carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles ac pauperes: eò quod non est acceptio personarum apud ipsum, & vix ad culmina dignitatum (necum ad Præbendas) viri eminentis scientiæ valeant reperiri, exceptiones hujusmodi non duximus admittendas.

II. Profecto, quin in electione & vocatione ad Ecclesiastica Ministeria vitæ merita, ac eruditio potius sint attendenda, quam familiaris prosapia & nobilitas, nemo ambigere potest: ut propterea merito dicat Molanus loco citato, quod reprehendenda & reformanda sunt Collegia, in quibus postposito de pietate & eruditione examine, hoc solum diligentissimè discutitur; an nominatus sit satis nobilis, qui admittatur, an stemma ejus nusquam deficiat, an tot recensere possit proximos suos parentes aut Barones, aut Comites; an habeat omnia sua quarteria, ut loquuntur, integra, & similia, quæ nec recensere valeo, nec commemorari necesse est.

III. At verò ubi pietas ac eruditio non desunt, quin & ipsa generis nobilitas subinde considerari expedit queat, inficiari nullus potest. Certum enim atque experientia notorium est, quod nonnumquam Nobiles atque Illustrès Viri, dum de cætero pietate & eruditione sunt insignes, multa sua auctoritate in bonum Ecclesie præstare possunt, quæ alii pari aut majori pietate ac eruditione conspicui præstare non possent.

IV. Tametsi ergo in electione ad munia Ecclesiastica generis nobilitas vel familiaris prosapia nequaquam per se ac simpliciter sit attendenda; nihilominus cum respectu ad bonum Ecclesie, sive in quantum ea conferre potest, ut Nobilis majori auctoritate Ecclesie serviat, merito attenditur; poteritque interdum Nobilis Ignobili, licet non nihil doctiori & capaci, sine personarum acceptione præferri.

Hæc præ oculis habuisse creditur Pontifex, dum ad instantiam Philippi II. inter novem Graduatos in singulis Cathedralibus Ecclesiis noviter erectis tres Nobiles Graduatos esse voluit; non quosvis; sed nobiles ipsius Diocesis.

V. Quod enim ait Molanus, ad Ministerium Ecclesie vocentur, & invitentur, hoc fit, ut non solum per eruditionem & pietatem, sed per nobilitatem quoque suam Ecclesiam Dei juvent. Cum enim Nobiles sæculares gladium portant, & per suam potentiam possint Ecclesie Dei, & viris Ecclesiasticis multum prodesse, valde expedit ex eorum familiis in Clero aliquos esse, ut eorum favor obsequium & reverentia erga Ecclesiam & Ecclesiasticos magis foveatur & conservetur. Imò dum in Clero sunt Nobiles, libenter Nobiles Viri & Illustrès Principes eò filios suos destinant, ut nobilitati stemmatis nobilitatem addant morum, animum liberalibus & honestis studiis excolant, & à teneris annis reverentiam Ecclesiastici Ordinis imbibant.

VI. Nobiles proinde Canonici semper meminerint sui officii, atque suæ vocationis esse, ut nobiles sæcularis res, apud quos propter carnis & sanguinis nobilitatem plerumque præ reliquis Canonicis gratiores & majoris auctoritatis sunt, adhortentur & doceant, Deum & Ecclesiam ab iis requirere, ut veluti nutritii Ecclesie Christi, primò & ante omnia teneantur honorem Dei, fidem Catholicam, pacem Christianorum, pietatem, & bonos mores, Ecclesiam, viros Ecclesiasticos, & Monachos, eorumque privilegia & immunitates. Et ut filios suos à teneris annis sic institui curent, ut simul cum pietate observantiam Sacerdotum & Cleri imbibant. Ex quo facile intelligitur, cur conveniat patrios nobiles exteris præferre, quod hi plus apud nobilitatem

Patris

Patris & Diocesis, quam exteri nobiles præstare possunt, sint.

VII. Neque Nobilitatem dumtaxat, sed & eruditionem desideraverit Pontifex, dum ad instantiam Philippi II. tres Præbendas sive Canonicatus in singulis noviter erectis Ecclesiis Cathedralibus Nobilibus Diocesis assignavit: id vel inde intelligitur, quod ultra Nobilitatem etiam gradum Doctoratus aut Licentiæ in Theologia aut Jure Canonico requisiverit: ut scilicet hoc publico Academico testimonio probarent se non tantum generis, sed & eruditionis nobi-

litate insignes & idoneos qui Ecclesie operæ & consilio servire possint.

VIII. Ex hæcenus dictis quisque facile intelligit, quam solliciti esse debeant, quibus incumbit Gradus Academicos annuere, ne alii annuant, quam qui eruditionem aliasque animi dotes habent, quas Gradus ille Academicus seu publicum quoddam testimonium præfert.

Ut quid enim Gradus illi requiruntur, nisi ut per illos constet de eruditione & capacitate promovendi; sed de his alibi latius.

## TITULUS XI.

### De Dignitatibus Capitulum.

#### CAPUT I.

##### De Præposito.

1. Quales durante communi Canoniorum vita essent Præpositi.
2. Hodierni Præpositi ab antiquis in multis distincti.
3. Non omnium Præpositorum eadem jura & officia.
4. In his attendenda consuetudo, Statuta & fundatio.

**I**n plerisque Ecclesiis Cathedralibus prima post Episcopalem dignitas, & in Collegiatis absolute prima est Præpositi.

Officium Præpositorum in Ecclesiis Canoniorum, cum inter Canonicos adhuc vigeret vita communis, describit Synodus Aquigranensis anno 816. cap. 139. Quamvis ait, omnes qui præsent, Præpositi rite dicantur, usus tamen obtinuit, eos vocari Præpositos, qui quandam Prioratus curam sub aliis Prælati gerunt. Hi tamen, qui juxta hunc morem præpositi vocantur, tales & tam strenui sunt constituti, qui & vitæ probabilis sint, & ea quæ sibi injuncta sunt, fideliter, humiliterque expleant; & pro eo quod aliis prælati sunt, nequaquam parvi pendeant canonica instituta; sed quanto plus implicantur in fratrum curis, tanto magis studeant cœlestibus obtemperare monitis. Debet igitur cunctæ congregationi esse utilis, & de ministerio commissio fideliter prodesse. Ea verò quæ fratribus dare debent, cum charitate tempore opportuno intemperanter præbeant, quatenus à Domino de fidei administratione gradum bonum acquirant. Erga hujusmodi verò delinquentes, & obedientiam sibi commissam bene administrantes, modus superiis comprehensus tenendus est.

II. Si quis attendat, quæ hæc Præpositi injunguntur, & incumbunt, facile apparebit, quantum moderni Præpositi, quos in Belgio habemus, ab illis, quos describit Synodus, discrepent.

Tunc Præpositura erat officium, nunc non solum est beneficium, sed primaria dignitas. Tunc cura & regimen Canoniorum & Clericorum in communi viventium præposito incumberebat; nunc pauci sunt, quibus cura animarum, aut aliquod spirituale regimen incumbit. Tunc Præpositi in congregatione & pervigili cura Fratrum assidue erant: hodie verò plures credunt se ab omni residentia personali exemptos: Imò in Diocesi Leodiensi omnes opulentiores Collegiarum Ecclesiarum Præpositura possidentur à Canonicis Sancti Lamberti. Uno verbo, qui rectè notat Molanus lib. 2. De Canonicis cap. 4. Si nostros præpositos ad præfatos illos conferamus, nihil ferè aliud videbitur referre, quam umbram quandam præposituræ, quæ adhuc relucet in prima sessione, in opinis fructibus, qui tamen in nonnullis locis juxta Dei iudicium propter intermissam residentiam multum attenuati sunt: rursus

Van Espen Jur. Eccl. P. I.

#### CAPUT II.

##### De Decano.

1. Decanorum origo.
2. Cura animarum à Præpositis translata in Decanos.
3. Hodiernus est in singulis Capitulis Decanus, cui tantum Cleri cura incumbit.
4. Solet esse Caput & Præses Capituli.
5. Jurisdictio Decani maxime à consuetudine dependet.
6. Jurisdictio interdum est non apud Decanum, sed apud Capitulum. Interdum apud utrumque.
7. Jure communi non habet jurisdictionem contentiosam, sed dumtaxat correctionalem.

F 2

8. 7u.